



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Cap. XII. Rosa Alabandica, seu verecundia, modestia, pudicitia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

potes, non per alios. Germani veteres liberorum manibus stipem inferebant, ut sic eos alia facerent ad promp-
tè dandum. Pannonia rex Stephanus in egenos largis-
simus, non tantum Eleemosynâ plurimum dedit,
sed & ipsomet plerumque dedit. Hinc evenit, ut sub no-
ctem egressus pinguissimum marmosum in pauperes
effusus, rediecit evulsâ barbâ, & bene comitus a pau-
peribus, qui tamen hanc regis injuriam minime cogita-
bant, sed pecuniam manibus nimium avidis invola-
bant. Hoc autem Stephanus triumphum suum inter-
pretatus est, & ob id singulares Deo gratias egit. Mar-
garita Hispaniarum regina ita suos, quos in Christiani
orbis solatium pepererat liberos, erudit, ut illi a tene-
ris unguiculis suâ etiam manu Eleemosynas erogarent.
En obsecro, cujus non puduit tantos Principes, nos
tantillos pudebit?

Sexta. Circumspiciendum quibus, quomodo, & quare dandum.

6. Misericordiâ actiosa gna est circumspicit, quibus det, quomodo det, & quare. 1. Quibus det, nam egenis vult dare, non opulentis; in vasa fundit vacua, non plena. Contrarium fit fere nostro avor nunciam effunditur, sed in vasa jam antè plena; multum donatur, sed diviti-
bus, quorum est largiri, non accipere dona. Inter eos autem quibus dandum, meo judicio, primi sint Adolescentes pauperes, qui Musis vacant, & panem non habent. 2. Attendit Misericordiâ, Quomodo det. Inter modos dandi, de quibus hic agimus, is etiam præclarus est, cum conditur testamentum, non oblivisci pauperem Christum; si Christum non vis heredem ex asse scribere, saltem in hereditatis partem admittit. 3. Quare det, omnia scilicet propter Deum, idque non verbis solum, sed factis. Quod sollicite beatus Joannes monet:

1. Joan. 13. Filii mei, non diligamus verbo neque linguâ, sed opere & veritate. Idem beatus Jacobus inquit: Si frater aut soror nudus sit, inquit, & indigeat victu quotidiano; dicat autem aliquis ex vobis illi: Ite in pace, calefacimini & saturamini; non dederitis autem eis que necessaria sunt corpori, quid proderit?

Septima. 7. Verâ Misericordiâ est, & largiter & hilariter dare. Eum namque dicemus Misericordem, qui, ut beatus Paulus loquitur, misereatur in hilaritate. Hilarem enim datorem diligit Deus, qui non ex tristitiâ aut necessitate largitur. Quod Siracides oculis subiiciens: In omni dato, inquit, hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas. Da Altissimo secundum datum ejus, & in bono oculo adinventionem facito manuum tuarum, quoniam Deus retribuens est, & septies tantum reddet tibi. Hæc utique credimus, sed etiamnum trepidamus, nec facit fidimus pollicitis divinis. Ergo mendax Deus: ergo promissit, quod præstare aut nolle, aut non poterit? Fidamus securissimè, & demus Altissimo secundum datum ejus, quoniam septies tantum reddet nobis.

Octava. 8. Sine omni ostentatione ac pompâ, & quantum fieri potest occultè dare eleemosynam Servatoris monitum est: Cum facis eleemosynam, noli tubâ canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextra tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Nihil æquè vitandum in beneficio quàm jactantia. Res satis loquetur, vel tacentibus nobis. Ecquid opus nomen aut insignia sua donis omnibus affigere? Hadrianus Imperator id fecit, & ob id Herba parietina dictus est, quod ejus nomen per omnes parietes serperet. Satis est à Deo sciri quod damus, tamen nemo sciat mortalium.

Nona. 9. Certam pecuniæ partem seponere in egenos tribuendam. Exempli causâ sic suademus. 1. Est qui annis singulis post omnes expensas centum florenos sibi reponat, est qui reponat mille. Primus si quinque, alter si quinquaginta florenos det in stipem, non nimium dabunt. Hoc enim dimidium duntaxat decimarum est.

A Idem judicium esto, proportionem hac servatâ, de omnium opibus, censu, annuisque proventibus. 2. Est qui sæpius in anno pecunias recipiat. Hic præclare fecerit, si accepti semper primitias Deo consecret; Verbi gratiâ, quindécim, aut octodécim, aut viginti florenos recipit: quid si medium seponat, aut saltem viginti fester-
tios, seu quinque bacios? Nam istud hic consili est, ut quotiescunque pecuniæ summa capitur, aliquid inde, primitiarum loco, pauperibus seponatur. Quisquis hoc prudenter fecerit, damnum nullum sentiet, sed omnium rerum suarum incrementum experietur. 3. Convenit in iis non tenacem ac sordidum esse, quæ vix unquam amplius vendantur pretio, ut sunt vestes detritæ, ciborum reliquiæ, ligna in silvis decidua. Et cur Deo non demus promptè, quod libenter daremus affectu-
ratori?

Sic nobilis mercator Hispali felicissimè negotiarius est: sic alius Olyssipone hanc consuetudinem suam abrogans onustas naves in ipso portu perdidit; has cum mercibus tempestas, illam fortunis omnibus everit paupertas, imò Deus, in quem tam restrictus & tenax esse coeperat. Hæc luctra nostra sunt, cum tam illiberales & immunitissimi sumus in rerum omnium largitorem.

B 10. Convivium mendicis, aut tenuis fortunæ hominibus subinde instruere, cujus nobile foret auctarium, iis etiam ministrare. Ignorum plurimis aut exosum illud Christi monitum videtur: Cum facis prandium aut cenam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites, ne forte te & ipsi reintrent, & fiat tibi retributio. Sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos & cæcos: & beatus eris, quia non habent retribuere tibi, retribuetur enim tibi in Resurrectione justorum. Faciunt hoc aliquot nobiles familiae, faciunt hoc Principes, Reges, Pontifices. Nemo hic dixerit, non esse hoc moris amplius. Alioqui dicemus, nec illud esse moris amplius, homines ad divina monita sunt surdos calo
admittere.

C 11. Unum aliquem è pauperibus, quemcunque tandem, perpetuò, velut Christum alere. Ita Clemens VIII. Pontifex Maximus fecit, qui honorando Christi collegio non numero, tredecim pauperes quotidiano victu ac vestitu sustentavit.

D 12. In omni prandio & cenâ, si mensa sit opimior, scutellam vacuum apponere, quæ scutella Dei appelletur; hanc autem è diversis ferculis, hinc & hinc desumptis partibus implere, eo fine, ut hæc miscellanea dentur pauperibus. Aliquid sibi adini vix sentiet mensa ditior, at sibi plurimum impendi valde sentient egeni. Hoc è viris nobilibus non neminem constat facere. Quod etiam illud referendum. Nobilis familia quovis sabbato in honorem beatissimæ Matris Mariæ omne lac armenti in pauperes gratis dispensat. Huc illius monasterii mos spectat, in quo quotiescunque è cœnobitis unus concedit fato, toties per dies triginta, omnia illi fercula in locum mensæ, ubi vivus federat, deferuntur. Post mensam omnia pauperibus dantur.

CAPVT XII.

Rosa Alabandica, seu, Verecundia, Modestia, Pudicitia.

S. I.

A Labandica Rose non immeritò conferimus hanc virtutem: siue illam appellemus Verecundiam, seu Modestiam, seu Pudicitiam: diversa nomina, res eadem.

Beatus Ambrosius divinæ Virginis Verecundiam artificioso penicillo sub oculis ponens: Verecunda sermone, inquit, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum querere. Quando ista vel vultu læsit parentes? quando diffinit à propinquis?

Ambros. l. 1. Offic. c. 18.

tom. 1. mib.

pag. 12.

Elogia B.

Mariæ à

verecundia.

propinquis: quando fastidivit humilem: quando derisit debilem: quando vitavit inopem: quos solita virorum catui invisere, quos Misericordia non erubesceret, neque prateriret Verecundiâ. Primus est pudor, qui in ipso cognitionis ingressu Domini Matrem commendat legentibus, & tanquam testis locuples dignam, quæ ad tale munus eligeretur, adstruit, quod in cubiculo, quod sola, quod salutata ab Angelo tacet, & mora est in introitu ejus, quod ad virilis sexus speciem peregrinam turbatur affectus Virginis. Itaque quamvis esset humilis, præ verecundiâ tamen non refutavit.

Idem lib. 2. de Virginit. initio, mibi pag. 98. Laudat hic quidem Mediolanensis Præsul hanc vitam Dei domum ab exteriori formâ, sed quia curiosus spectator cum audit ædium frontem laudari, mox solet querere, quæ sit intus ædium forma, quam ventusta conclavia, quæ symmetria ædificii, eam ob causam Ambrosius continuò adjungit: Nihil torum in oculis, nihil in verbis procax, nihil inverecundum: non gestus fractior, non vox petulans, ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probata. Verbo: Si sanctitas ipsa convenientem sibi voluisset formam sumere, hanc Virginis sumpsisset effigiem.

Damasfer. orat. 1. de Virginit. Nativ. Virginit. Damascenus pæne simili elogio cælestem hanc domum extollens: Hæc, inquit, vestitus molliem omnem ac luxum fugiens, gressus sedatus atque ab omni levitate remotus, mores severi, hilaritate temperati, & quod maxime mirandum, senilis in juvenili corpore Prudentia. Hic sermo non sterili nimum sterilis non assequetur, quæ melius animo & cogitatione poterunt comprehendere, quam modesta prudentia hæc Virgo cum imis & summis, cum pastoribus & regibus, cum templi ministris & Pontificibus sit locuta.

Philipp. c. 4. vers. 5. Ambros. loco citato. Modestia probi hominis pars maxima, quam ideo Paulus tantopere commendans: Modestia vestra, inquit, nota sit omnibus hominibus. Mens nequit sic esse nota, sit ergo mentis imago. Rectè dixit Ambrosius: Bona domus in ipso vestibulo debet agnosci. Si horologii structura interior turbetur, si rotula discorde, solis etiam mentientur index; hinc jactantia, levitas, petulantia, hinc plurimum indecori. Neque hæc facile fallunt oculos. Nam, teste Ambrosio, Habitus mentis in corporis statu cernitur: animi vox est corporis motus. Et meministi, inquit, quandam amicum, cum sedulis se commendaret officiis, hoc solo tamen nomine in clerum non esse receptum, quod gestus ejus plurimum dedecet. Humiles nos esse decet, mites, graves, patientes, modum tenere in omnibus.

B. Maria homines & Angelos in modestiâ superabat. Quo in genere omnes omnino & homines & Angelos hæc una Virgo superabat. Loquebatur, inquit Nicophorus, sine audaciâ, sine risu, sine perturbatione, fastus omnis expers, simplex & humilitatem præcellentem colens. Hanc porò virtutem Virgo suis etiam cultoribus cupit esse quam commendatissimam, ut quam ipsa tanti æstimasset, à suis quoque non negligeretur. Hinc, Divo Gregorio teste, virgunculam, cui Musa nomen, admonuit, ut à risu, joci, ludo, & ab omni puellari levitate abstinere, si secum esse cuperet in cælo. Beatus Bonaventura non sine ratione affirmat, Virginem eadem sollicitudine, dum in vivis ageret, ad virgines cœvas attendisse, ne aliqua ex illis ullo sermone peccaret, ne in risu vocem extolleret, ne superflua vel inutilia tractaret, neque injuriam ulli faceret.

Ita omnis Modestiae ac Verecundiæ speculum Dei parentem statuimus. Dicta & dicenda omnia confirmamus illâ ratione, quam nemo vel hostium negaverit.

Ratio confirmans Dei matrem fuisse modestiâ speculum & electam ex omnibus. Ex omni numero humanæ gentis, ex omni mulierum ac virginum cœtu, è tot centenis millibus, imò è tot millionibus hominum, Deus utique potestatem optionemque habuit solutissimam, eligendi in Matrem, quamcumque velleret, & quæ illi maxime placeret. Siquidem ab omni æternitate omnes omnino homines sibi præfentes habuit, singulos exactissime novit, ut qui omnium ac singulorum corda penitissime scrutatur. Atqui

A ex his omnibus hanc Virginem elegit in Matrem, ergo absque omni dubio castissimam, ergo Verecundiâ ac Pudicitia, omniumque virtutum laude cumulatissimam, ergo sui amantissimam elegit. Hinc Bernardus, Bernardus, Virginitatis divinx cultor integerrimus, illud elogi proclama- mans: Electa ex omnibus: Prædica, inquit, reverendam Angelis, desideratam gentibus, Patriarchis Prophetis, prærogatam, electam ex omnibus, prælatam omnibus, magnificam gratia inventricem, mediatricem salutis, restauratricem factorum. Exalta denique exaltatam super choros Angelorum ad cælestia regna. Ergo electa ex omnibus. Id nobis Eliza- Sacerdos explicaverit, qui Sionis electionem prædicans Dominator Domine, inquit, ex omni silvâ terræ, & omnibus arboribus ejus elegisti vineam unicam: & ex omni terrâ Orbis, elegisti tibi foveam unicam: & ex omnibus floribus Orbis, elegisti tibi lilium unicam: & ex omnibus abyssis maris, elegisti tibi rivum unicam: & ex omnibus adificiis civitatis, sanctificasti tibi metropolim Sion: & ex omnibus creatis volatilibus, nominasti tibi columbam unicam: & ex omnibus plasmatis pecoribus, providisti tibi ovem unicam. Ita profus sanctissima Dei Mater, columba una, lilium unum, ovis una, Electa ex omnibus. Idem Chrysostomus affirmans: Si alia, inquit, melior fuisset, ea electa fuisset. Beata Maria ultra omnem humanæ naturæ modum Modestiam ac Temperantiam excoluit, non levis, non jocosa, non cantatrix. Quid si quæ virgo alia majori modestiâ, vel ampliori puritate præter hanc ornata extitisset, illam sibi Dominus præ hac ipsa omnino in habitaculum delegisset. Siracide calculo, gratia super gratiam est mulier sancta & pudorata.

§. II.

Ferunt, Aristotelis filiam interrogatam, quis ei color in vestem maxime placeret, respondisse, vultus purpureum, quam spectatori exhibemus cum erubescimus. A patre hoc videtur hausisse, cujus illud effatum est: Optimus color, quem gignit pudor. Valerius suis Verecundiam coloribus illustrans: Parens est, inquit, omnis honesti consilii, tutela solemnium officiorum, magistra innocentie, chara proximis, accepta alienis: omni loco, omni tempore favorabilem præ se ferens vultum. Bernardi sensu, nil tam proprium est verecundiæ, quam proprias vitæ laudes. Cujus illustrissima ceterè dedit exempla Domini Mater. Cum ab Angelo salutaretur gratia plena, turbata est in eodem sermone ejus: Ut agnoscas, inquit Ambrosius, aures religiosas & oculos verecundos. Cum exclamaret Elisabeth: Benedictus tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Beata quæ credidisti, quoniam perscrutantur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino. Virgo hanc omnem laudem à se in B. Matrem derivavit. Cumque ipsa hæc mater ad concionem filii adstaret, non immodeste aut importune per stipatam plebem penetravit, sed expectavit foris, dum auditorum aliquis illius miseris concionanti Christo diceret: Ecce mater tua, & fratres tui stant foris, volentes te videre. Cum apud diversos filios convivam simul & doctorem ageret, nunquam illa auctoritate maternâ domum illam irrupit, nunquam sermonem ullum interrupit.

Bernardus hæc luculentius dissertans: Gratissima sanctæ Bern. fons ne gemma in diademate, inquit, micans in capite stella, rubor in facie hominis verecundi. An verò quis putat, quod hæc ex- ruerit gratia, quæ gratia plena fuit? Pudibunda fuit Maria. Ex Evangelio id probamus. Vbi enim aliquando loquax, ubi præ- sumptuosa fuisse videtur? Foris stabat, quarens loqui filio: nec maternâ auctoritate aut sermonem interruptit, aut in habitationem irruit in quâ filius loquebatur. In omni denique textu quatuor Evangeliorum (si bene meminerimus) non nisi quæ, Mater est Maria loquens auditur. Primò quidem ad Angelum: secundò ad Elisabeth: tertio ad filium, cum jam esset annorum duodecim: quarto in nuptiis ad filium & ministros. Et si quidem sermo certissimus index ingenuitatis mansuetudinis, & virginitatis

ginalis Verecundiâ fuit. Vanobis qui spiritum habemus in naribus, va qui totum proferimus spiritum, qui iuxta illud Comich, pleni rimarum effluimus undique. Toties Maria filium audit non modò turbis loquentem in parabolis, sed discipulis seorsum regni Dei mysteria revelantem; vidit miracula facientem, vidit deinde in Cruce pendentem, vidit expirantem, vidit resurgentem, vidit & ascendentem: Sed in his omnibus quoties verecundissima Virginis, quoties pudicissimi turturis vox memoratur audita? Obsecro vos filii, emulamini hanc virtutem. Si Mariam diligitis, si contenditis ei placere, emulamini Modestiam ejus: nihil enim tam idoneum homini, nihil tam congruum Christiano.

Petrus Galatinus mirissimum quid atque scitu dignissimum de Virgine hac regiâ commemorans: Tam fuit modesta, inquit, Virgo beatissima, ut oculos nunquam elevaret, sed semper, nisi Deum oraret, humi defixos teneret. Et inter ceteras perfectiones eo spiritui Prophetia donata est, ut si forte illicitum quid audiret vel visura esset, illico aures & oculos ejus clauderentur, ita ut non nisi voluntati divinae deservirent.

Sed illud mirabilis, quòd nullum hominum unquam decore vultus sui laeserit. Vix unâ sede morantur decor & pudor: at celestis hac Virgo uno eodemque vultu & sanctitatem pudoris, & decòis majestatem exhibebat. Et non solum nullus hominum aspectu hujus Virginis impuriore ictus animi sensist, verum etiam qui animum Cupidinis telo jam vulneratum habuit, solo Virginis divinæ intuitu sensus castiores sensit & haussit. Adde omnem maligniorem flammam in spectatoris pectore extinxit. Sanctus Bernardinus multiplicem istius gratiæ causam assignat in hac Virgine, de cujus oculis vultu temperatissimus ros effluit.

Basiliscus oculis venenat, suis Maria omne concupiscentiæ Venenum pellebat, & ad castimoniam invitabat. Quâ quidem ratione, vel solis oculis potentissimè concionabatur.

Arbor est seu frutex, cui nomen Agnus castus: hæc flore, semine, odore eam æmulatur, & hominem, inquit Dioscorides, castum efficit. Flori potissimum hujus arboris tam formosum nomen tribuitur, ut Agnus castus appelletur. Talis revera fuit arbor Domini Mater, quæ solo jactu oculorum, ad meliora trahere, & castimoniam persuadere potuit. Radii Christi oculis micantes, plus terruerunt mercatores in templo, quam flagra & fuses. Oculi beatissimæ Virginis intuitum pectus amore castitatis imbuere admirabiliter. Atque hæc etiam Divi Ambrosii sententia est, ita pronuntiantis: Quos visibat, is integratus in sine conferebat.

§. III.

Dionysius illud Salomonis carmen, Sicut lilium inter spinas, sic interpretatur: Innumera sanctarum virginum sibi munda, sibi rosa, sibi fuerunt castæ; si tamen illas cum hac Virgine conferas, rectè dixeris fuisse spinas, neque enim prohibere poterant, quin alii earum aspectu pungerentur, & ignes conciperent non adeo puros. Hoc tamen potuit hac Virginem Virgo, cujus hoc singulare donum fuit, sine vulnere oculorum, alios non tantum aspicere, sed & ab aliis aspicì. Quo in genere hæc mater plurimum habuit filii, qui speciosus forma præ filiis hominum, formosissimus omnium tam ameno vultu radiabat, ut nemmo turbatus aut tristis eum aspexerit, quin continuò hærentem animo tristitiam ejecerit. Inde Hierosolymis proverbium enatum, ut mæsti seipsos hortarentur, & dicerent: Eamus ad Filium Mariæ, qui lætificabit nos.

Hæc sanctæ viduæ Birgittæ celestibus ostentis cognita. Ipsa ejus verba hic recito: Tam pulcher facie erat, quòd nullus videbat eum facie, qui non consolabatur in aspectu ejus, etiam si præcordialiter dolorem haberet. Unde & dolentes dicere consueverunt: Ea-

mus, & Filium Mariæ videamus, ut saltem tanto tempore relevemur. Equè tamen mirandum est, quòd nostri ævi Theologus affirmat, Non solum preces ad Matrem Ludovic, Domini fufas, sed & pictam Virginis effigiem, si pio sensu aspicatur, libidini pravisq, animi moribus incredibiliter resistere. Quid ergo, mei oculi, quid in diversa vagamini? huc convolate, hoc vos asyllum proteget, hic ab hoste securitas, hic ipsius Modestiae ac Verecundiæ imago exactissima.

Rectè Bernardus sanctioris vitæ principium à Verecundiâ ducendum existimans: Ordo vitæ, inquit, tenendus est. Et à Verecundiâ prima quedam fundamenta ducuntur, quæ socia & familiaris est menti placide, proterviam fugit, honestatem fovet. Modestia, Thomæ Aquinatis calculo, Temperantiæ soror, corporis motus & gestus, atque etiam actiones tam ludicras, quàm serias, & quæ ad vestitum cultumque corporis spectant, honestè decetereque moderatur. Eò spectat Augustini præceptio: In Nos hic eam omnibus moribus vestris, nihil fiat quod cujusquam offendant aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. Sic gravitas in oculis, pondus in lingua, maturitas in incessu, honestas in omni motu. Quod beatus Paulus severo jussu sic exigit: Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Modestia ingens vitæ ornamentum ac præsidium, quo carere noluerunt ignari etiam disciplinæ Christianæ.

Archytas Tarentinus philosophus modestissimus ab omni verborum ac morum turpitudine quàm maxime abhorrebat.

Cosconius ævo Domitiani verecundissimus poëta, Cosconius nil nisi castum & pudicum cecinit: eam ob rem irrisus poëta. est à Martiali, quòd illius poemata pueris tantum & virginibus conveniret.

Publius Virgilius poëtarum decus atque Deus, animo, & ore, & calamo adeò verecundus fuit, ut vulgò Parthenias diceretur. Liceat hic altum ingemiscere. Reperiuntur nonnunquam, qui Parthenii Sodales nominantur, tam non verecundi, tam animo quàm ore ac moribus impudici, ut eos in prostibulo educatos diabolis longè similiore censcas, quàm Angelis. Horum supremo die accusator erit nobilissimus Hetruscus juvenis Spurius, quem supra nominavimus, quicquid profecit verecundiæ, ut cum plurium oculos suâ formâ sollicitari cognosset, oris decorem vulneribus suâ manu factis confunderet, malletque deformitatem pudoris sui testimonium, quàm formam alienæ libidinis esse irritamentum.

Hujus germanus frater cenferi potuit adolescens, Adolescens qui super pudicitia causâ in populi Romani rostra Romanus. productus, oculis in terram defixis, rubore pudibundo & silentio pertinacissimo pudicitiam suam vehementius populo probavit, quàm longis & accuratis orationibus oratorum disertissimi potuissent. Hunc si Diogenes vidisset, idem illi quod adolescenti laudabiliter erubescenti suggestisset: Bono animo es, fili, istiusmodi virtutis tinctura est.

Lycurgus Spartanorum legislator Modestiam ac pudorem commendaturus imperavit, ut adolescentes maxime manus in viâ intra pallium continerent, silentio incederent, nusquam circumspicerent, oculos humi defixos gererent. Optima lex non pueris, sed viris, præcipue religiosis, lata.

O Christiani, quoties in legem Verecundiæ turpissimè peccamus tam oculis, quàm ore, ac manu. Prima diaboli sagitta, oculus. Qui non capitur oculis, facilius resistit verbis. Samson, David, Salomon pro mille testibus sunt. Jam pane veniam damus Democrito, qui oculos sibi eruens, & excacando semetipsum, ut Tertullianus loquitur, incontinentiam emendatione profectus. Christianus oculos non effodit, sed claudit, quæcumque lædendam metuit verecundiam, quam non tantum excellens forma, vestis lasciva, sed petulantior pictura

Galatin.
l. 7. de
censu
Casti-
tatis
cap. 5.

Nullum
hominum
decore
vultus
sui
laesit:

Sed Virgi-
nis intuitu
sensus ca-
stiores
sensit &
haussit.
Bernardin.
no. 2. ser. 2.
p. 1. d. 10.
Falsum
Cornelius
Maffius Bi-
surnus
Episcopus &
Michael
Lachmar
Theol. Doct.

Omnes
sanctæ vir-
gines col-
lata cum
B. Virgine
fuerunt
spinæ.

Es. 44. v. 3.

Revelat.
S. Birgitta
lib. 4. c. 70.
ad finem.

Bernard. l.
de ordine
vite, mih.
pag. 1116.

Verecundiâ S.
Tho. Aquin.
singularis
virtus non est.
2. 2. q. 144.
Reg. tom. 1.
mih. p. 364.
Philip. c. 4.
vers. 5.

Verecundiâ
præditi:
Archytas
Tarentinus.

Publius
Virgilius.

Lycurgus,

Tertull. Apo-
log. c. 46.

pectura facillimè offendit. Hinc Persarum instituto, quod A
Xenophon narrat, capite luebatur, nudum hominem
aspexisse, tanquam si scelus immane foret perpetratum.

§. IV.

Mattia
Varronis
filia.

Mattia Varronis filia summè laudanda hinc sese ul-
tro ingerit. Hæc sculpendi & pingendi arte insi-
gnis, nē virginitatis candorem, quem cupiebat illesum
tueri, offenderet, à fingendâ virili figurâ semper absti-
nuit. O pictores & sculptores! ô quoties nec vestræ nec
alienæ verecundiæ consulitis, neque Persicum duntaxat
institutum, sed & naturæ legem violatis, quando
prætextu artis, investem hominem innumeris specta-
toribus propinatis, ipsissimam oculorum pestem & ve-
nenum pudicitiae! Scalprum aut penicillum tam inve-
recundum, lasciviam manum, & animum impudicum
arguit. Maria vos reos aget. Quod Servator de Austri
Reginâ, hoc ferè de virgine illâ, cõtque aliis verecundis
adolecentibus poterit affirmari. Spuria, Persæ, Mar-
tia, plurimique alii surgent in iudicio cum viris genera-
tionis hujus, & condemnabunt illos.

Philippus
Macedo.

Illud Verecundiæ simul ac Patientiæ nobilissimum
documentum hinc minimè tacendum. Philippus Macedo,
cùm sub hastâ venderentur captivi, pro tribunali sub-
limis federat, sed parùm decorè, & veste reduciore.
Vidit hoc quispiam è captivis, & clamare cœpit: Injuriâ
se affici, esse enim paternum se Philippi cognatum.
Quod cùm miraretur Philippus, & verò dicere homi-
nem ac docere, si quid veri habeat, juberet; Apud te so-
lum, ait captivus, accedensque ad tribunal, in aurem in-
sufurrat: Domine rex, dimitte vestem, nam sic parum
decorè sedes. Rex nihil offensus, inquit & gratiam retulit:
Et verè, inquit, iste mihi amicus est, mittere hominem:
simulque aliter se composuit.

Quidquid adversus honestatem aut decorum fit,
placere non potest. Hinc eruditè præci finxerunt Mi-
nervam tibias abiecit ob verecundiam, cùm eas ad
pellucidum fontem inflaret, & genarum tumorem velut
in speculo videret. Catò major præclarè docuit, &
sensu proflus religioso: Unumquemque seipsum maximè
revereri debere, neminem enim unquam sine seipso esse.

Sigismun-
dus I. Po-
loniæ rex.

Observavit hoc sedulo Sigismundus I. Poloniæ Rex,
qui summâ & pæne virginali verecundiâ fuit, dum vi-
xit. Nudus aut minùs compositus aspicere non sustinuit.

Eleonora.
Massejus
lib. 16. hist.
Ink. ante
med. mihi
pag. 457.
ubi naufragium longè
enostissimè
describitur.

Huic merito suo jungenda Eleonora illustrissima fe-
mina, Emmanuelis Sossæ Lusitani Principis conjux, quæ
cum marito & sexcentis comitibus naufragium passâ,
post arma & opes à barbaris direptas, jamque pedes
iter faciens in armatos Æthiopes incidit. Hi Sossam
ipsum & ceteros utriusque sexûs nullo discrimine vesti-
bus nudare sunt aggressi. Adeo ablatis armis animi om-
nium ceciderant, ut jam prædonibus his etiam obnoxii
contrâ nec hiscere quidem auderent. Eleonora tantum
generis memor, ac pudoris retinens, obniti acriter, quin
etiam pugnis colaphisque barbaros ultro ad necem irri-
tare: quoad mariti denique hortatu, & deficientibus jam
planè viribus, abstiuit. Nec mora: detractæ direptæque
vestes naufragii metu ac pudore confusis, atque ab
tantâ rerum indignitate oculos avertentibus. Tum ve-
rò castæ matronæ tristior omni morte lux visa, cùm-
que aliud non suppeteret, è vestigio sese arenis defodit;
quidquid corporis extabat, soluto raptim fusoque cri-
ne obtexit. Mox ad comites voce supremâ: Vos qui-
dem, inquit, Duci vestro fidem, egregiam præstitistis,
optimi viri, nil ultra opus est. Ite, vobisque ipsi consuli-
te. Hic alius omnium mætor ac dolor vocem incluserat.
Eleonora verò in hoc ipso tumultu, quem ipsa sibi
fecerat, seque ipsam velut exanimem in eo collocarat,
æterni & jejuno longo exhausta, jamque prius sepulta
quàm mortua, diem suum obiit. O magnam heroidem,
quæ potius vitam quàm verecundiam exuere sustinuit!

§. V.

Non desunt quibus in ipsâ etiam morte modestia
& pudor cordi fuerunt. Julius Cæsar conjurato-
rum strictis pugionibus appetitus in curiâ, jamque mul-
tis vulneribus confectus, caput togâ obvolvitur, simulque
manu sinistra sinum ad ima crura deduxit, quò honte-
stius caderet, etiam inferioris corporis parte velatâ.

Sic & Olympias Alexandri Macedonis mater, cùm
eam Cassander interim jussisset, id unice cavere, ne mi-
nus verecundè caderet, pudorem mortis suæ testem
optimum arbitrata.

Sic & Panthei Lacedæmonii uxor post viri mortem,
quem in Ægyptum secuta fuerat, à Ptolomæo inter La-
cenas ceteras occidi iussa, priusquam ferum reciperet,
pedes diligenter obvolvitur veste, omnemque aliam cor-
poris partem velavit; jugulum duntaxat nudum præ-
buit, ut honestissimè cadens, pudorem, quem per om-
nem vitam servaverat, relinqueret involatam.

Sed obstupescendum illud feminae factum, omne fi-
dei ac verecundiæ exemplum longissimè superat. Ab
omni ævo vix simile quidquam posteris memoria tra-
didit. Anno Christiano millesimo trecentesimo sexage-
simo septimo, Petrus Castellæ rex post primum cum Henrico
fratre congressum, victor Hispalim rediit. In-
ter complures quos triumpho insolentior jussit perire
nobilissima matrona Urraca Gulmanii Joannis Al-
fonsi Gulmani mater fuerat. Hanc in celeberrimâ urbis Mar-
plateâ flammis exuri vivam voluit, crudelis Princeps.
Ad Gulmaniam rogem adstitit famula Iâbella Ubedia.
virgo honestissima: cùmque domina in igne ob acer-
bissimos dolores impatiens sese jactaret, ita ut vestis
incomposita, & pes nudus cerneretur, famula animi digne
plena in ipsos ignes insiluit, disjectam vestem compo-
suit, eamque tamdiu manu tenuit, dum & ipsa (quod
pæne fidem superat) cum dominâ conflagraret. Quid
jam Romanos heroas canimus? Murios Scævolas, &
Attilios Regulos miramur: non impar hic feminae ani-
mus, aut major. Factum non laudo, sed ancillæ fidem,
sed Verecundiæ prodigium obstupesco. Mori maluit
hæc virgo, quàm dominam minùs verecundè morientem
cernere.

Christiana Modestia ubique pulchra, ubique decora
est Verecundia, in congressibus, in colloquiis, in convi-
viis, in itinere, in commerciis, domo, foris; coram civi-
bus, coram magistratu, coram Regibus, coram servis ac
liberis, coram notis & ignotis, in lectu & letitâ. Tam
igitur necesse est hac virtute non carere, quàm inter ho-
mines vivere. Verecundia moderatrix cupiditatum, vir-
tutis ac famæ custos, & laus naturæ. Virginitatis ferè at-
que Innocentiæ dos Verecundia. Ubi illa est, spes ma-
gna boni est; unde illa exultat, spes virtutis nulla est.

Christiana Verecundia & Modestia primum asse-
ctus, deinde mores exteriores componit: hæc ab illâ ori-
tur, sine quâ, non perpetua, non diuturna est. Quod
Gregorius affirmans: *Intus, inquit, est custodia, quæ com-
posita servat exterioris membra. Quæ ergo statum mentis perdis-
cit, foris in inconstantiâ motionis fluit, atque exteriori mobili-
tate indicat, quòd nullâ interioris radice subsistat.* Hinc Invere-
cundia hominum perditorum nota. De desperatè malis
dictum est: *Quin imò confusione non sunt confusi & exarbitri.* Hinc ipsi
re nesciunt: idcirco cadent inter corrumpentes. Timide primum
ac verecundè turpitudinem admittimus: mox majus
aliquid mens audeat: paulatim minima facit maxima.
Inde ad præcipitium itur, ubi prius Modestia sic
exiit.

Videte mihi Julianum Apostatam, hominem ex asse-
nequam. Non semper talis fuerat, sed futurum talem.
mores illius incompositi maturimè prodebat. Gre-
gorius Nazianzenus ejus contubernalis: hoc mōstrum
sic

fic depingit: Nil boni, ait, oinari videbantur cervix non
 stata & erecta, numeri subsultantes, & ad æquilibrium subin-
 de agitati, oculi leves, vagi, furiosque intuentes, pedes instabi-
 les & titubantes, nasus contumeliam & contemptum spirans,
 vultus lineamenta ridiculi idem significantia, risus petulans
 & effrenus, natus & renatus temerarius, lingua salax, lubrica,
 volubilis, sermo hævus, spiritusque concisus, interrogationes
 stultæ & precipites, responsiones his nihilo meliores, postu-
 lata immatura, facilitas projecta ad idem eodémque tempore
 negandum simul & concedendum, colloquia temeraria sine
 ordine, sine fundamento, sine oratione. Ut hoc conspexi, sta-
 tim prolocutus sum: Heu quale malum Romanorum terra nu-
 triat! Optabam equidem dum hæc dicerem, alienum quid à ve-
 ritate dicere, & falsus esse vates. Id enim satis fuisse, quam
 hunc ignem grassari per Orbem, totque inde tantaque oriri
 mala, quanta vix antiquam Romanum sensit imperium. Huc
 Porc. cap. 6. ex asse quadrat illud Salomonis: Homo apostata, vir inu-
 ref. 12. 13. tili, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito
 & 14. loquitur, pravo corde machinatur malum, & omni tempore
 surgit seminat.

Ita speculum mentis est facies. Nam quod Siracides
 26 & 27. dixit: Ex visu cognoscitur vir, & ab cursu faciei cognoscitur
 sensatus. Amicus corporis & risus dentium, & ingressus homi-
 nis enuntiant de illo. Ajunt hominem superbum signo mi-
 nimè fallaci posse deprehendi, si quis à tergo incessum
 ejus observet: quam enim jactuosus sit, quam magni-
 ficè incedat, quamque se libet in utramque partem
 facillè apparebit. Nec oculus talis infra stationem suam
 Prov. c. 17. continebit. Nam oculi stultorum in sinibus terra.
 ref. 24.

§. VI.

Gravissimè per Isaiam questus est Deus: Pro eo
 quod elevatae sunt filia Sion, & ambulaverunt extento
 collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant
 pedibus suis, & composito gradu incedebant. Hæc non ma-
 xima vitia erant, sed latentium vitiatorum argumenta.
 Nemo ergo dixerit: Quid ab exterioribus & minutis
 labeculis illis tam rigide censor: mea me conscientia
 defendit.

Ignosce nobis, mi homo, quod te hominem esse
 improbum credamus. Qualem te videmus, talem te
 judicamus. Verba tua, gestus tui, vestes tuæ, tua omnia
 exteriora perulantiam olent & improbitatem. Quid
 ergo miraris, quod te intus & in cute inverecondum
 censemus, quando te talem foris cernimus? Ubi Mo-
 destia & Verecundia non est, ibi compositæ mentis ar-
 gumentum nullum est: aviculas à plumis & cantu, mul-
 tas animantes à pilis & incessu, campanam à mole &
 timitu, hominem à verbis & gestu nōsse possumus.
 Bona, inquit, conscientia mihi est. Quæso te, cura, ut
 de bona etiam sit tibi fama: Nobis enim, inquit Augustinus,
 necessaria est vita nostra, alius fama nostra. Hoc lanè sensu
 Tatensius Paulus: Rogamus, inquit, vos fratres, ut abunde-
 tis magis: & operam detis, ut quieti sitis, & ut vestrum nego-
 tium agatis, & operemini manibus vestris, sicut præcipimus
 vobis: & ut honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt. Providen-
 tes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus
 hominibus. De cetero quæcumque sunt vera, quæcumque pudica,
 quæcumque iusta, quæcumque sancta, quæcumque amabi-
 lia, quæcumque bona fama: si qua virtus, si qua laus disciplina,
 hæc cogitate.

Nimirum exterior hominis compositio testis est non
 facillè mendax delictiscentis in animo virtutis aut vitii. E
 colore vultus non difficulter noscitur, sanus an æger sis.
 Si quem plures movent,

Heu bone, tu palles, surgit tibi lucea pellis;
 hic certe valetudinis offensæ argumentum vix dubium
 habet. Eadem est morum ratio. Hominem inverecon-
 dum verbis aut gestibus, valde pudicum animo quis
 credat?

Nucleus spiritus cortice modestiæ rectè tegitur &
 Tom. I.

A servatur. Ubi Christus est, modestia est. Verè modesti
 homines lucernæ sunt ardentes & lucentes, ardentes
 Deo, lucentes mundo. Hinc omnes Religionum con-
 ditores suis Modestiæ leges scripserunt, easque ut rem
 magni momenti religiosissimè observari voluerunt.
 Quod Franciscus Assisius vir sanctissimus exemplo suo
 eximie confirmavit. Nam die quodam ad socium con-
 versus: Eamus, inquit, concionem habituri. Ivit, sed
 quantâ potuit modestiâ, dejectis humi oculis, manibus
 quietis, incessu moderato aliquot urbis plateas obiit,
 ita demum ad domum. Hoc socius pæne oblivionem
 interpretatus, nec sine admiratione: Ubi, ait, mi Pater,
 est concio ad populum, de qua dixerat? Cui Franciscus:
 Et verò, mi Frater, ait, jam concionati sumus: dictum
 prudentibus sat est. Ut scias, modestè per urbem ince-
 dere, concionari est. Parum agunt verba, si desit Mo-
 destia. Plerique omnes plus oculis credimus quam au-
 ribus; neque tardius tantum, sed & minus penetrant
 animum audita quam visa. Facunda concio, Mode-
 stus homo.

Segnius tri-
 tant animos
 demissa per
 aurem,
 Quam quæ
 sunt oculis
 subjecta si-
 delibus,
 Et quæ ipse
 sibi tradit
 spectator.
 Horat. de ar-
 te poetica
 post initium.

ACTIONS MODESTIÆ,
SEV VERECUNDIÆ.

1. Modestiæ est, aliis loquentibus tacere, & eos, qui
 bulcum loquendum, demissè, reverenter, verecundè
 alloqui, oculis non directè in colloquentis vultum, sed
 humi ut plurimum defixis: cum foras prodeundum,
 per plateas immoto capite, manibus quietis, gradu non
 præcipitante, veste decenter compositâ, oculis in præ-
 tereuntes non curiosè projectis incedere. Hæc autem
 multò magis observat in templo Modestia, præcipue
 verò coëcet oculis, in quos sibi plurimum sumit im-
 perii. Nam uti lascivia, quem occupet, suam plerum-
 que sedem in oculis figit: sic & Verecundia, si quem
 sibi vendicer, ad oculorum portam pervigiles agit ex-
 cubias.

2. Risui etiam moderatur Modestia: risum effusum Secundâ
 aut cachinnos solertissimè caver. Neque enim illud Si-
 racide ignorat: Fatuus in risu exaltat vocem suam: Vir au-
 tem sapiens vix tacite ridebit. Homo sine spiritu, in omni-
 bus caret modo. Itaque sine causa, aut è causâ leviculâ
 in cachinnos solvitur. Christus risisse nunquam, ter fle-
 vissè memoratur. Intenseptivus, nequens, effusus risus
 à Modestiâ semper alienus fuit.

3. Modestia quietem amat, vagam discursationem Tertiâ
 odit, & non tantum sine necessitate per plateas non va-
 gatur, sed nec domum pererrat, loco sibi assignato con-
 tenta. Monachus qui toto cenobio vagatur, non ma-
 gnum præbet specimen Modestiæ. Paulus suos hortat-
 us: Corripite, inquit, inquietos. Et suos Christus emittens:
 In quancunque domum intraveritis, inquit, ibi manete, &
 inde ne exeatis. Nolite transire de domo in domum. Inquietus
 discursus vagæ mentis indicium.

4. Modestiæ præceptum est. In multis esto sine aus-
 ribus, sine oculis, sine lingua, perinde ut surdus, cæcus,
 mutus. Magni hoc artificii est, ea quæ nocitura sunt,
 posse non audire, non videre, non loqui. Magnus in hoc
 genere artifex vates regius: Ego autem, inquit, tanquam
 surdus, non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Et
 factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo
 redargutiones. Hoc Modestiam juvat, oculos in terrâ,
 cor in celo defigere.

5. Denique hoc agit Modestia, ut vultus, incessus, Quinta
 sermo, status, habitus, ut gestus, omnisque motus cor-
 poris, intra decori ac decentiæ limites contineantur.
 Rugas in fronte, & multò magis in naso caver. Sereni-
 tatem in vultu, maturitatem in aliis omnibus, quæ sub
 aspectum cadunt, exhibere conatur. Hinc rectè Pri-
 scorum metro dicitur,

Corona virtutum omnium Modestia.

FFFF

CAPVT